Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3319
Quelle:
Copyright:

uerendo hanc sacram sinodum in cuius oculis versantur cotidie saltem in uno minimo vitam dissolutam emendauit. Pro certo dicuntur clerici curiales adhuc tenere suas concubinas, inverecunde palam omnibus adhuc iusticiam vendere et vniuersaliter omni specie lepre ut prius sordescere. Uerum quidem quod nunc non emunt signaturas gratiarum, quia non est vendens, utuntur tamen intrepide prius emtis. Incedunt clerici curie ymo non nulli alij eciam ecclesiarum cathedralium prelati canonici et curati in uestibus indecenter figuratis, impudice videlicet quadrifariam usque ad nates ac cingulum incisis ut palam pateat proceritas crurium, fulgidus caligarum color &c. Ita et de Manicis: *ut pocius ad instar alatorum strucionum et vulturum videantur volando incedere quam more hominum ambulare* &c. En egregiam *Austriaci* nostri in dicendo libertatem, quae utique non omni prorsus fructu caruisse credenda est.

XXV. *fol.* 244. *Sermo Magistri Mauricij de praga Sacre theologie professoris predicatus in Concilio Constan. Anno &c. XVI.* En tertium jam *Mauritii* nostri Sermonem ad Synodum, quorum unicus in illud: *Habeo vobis dicere. Job. 16.* ab *Herm. v. d. Hardt*, et T. XVI. *Concill.* editus est. Praesens inchoat: *Hec vidua erat. Luc. 7. et in ewangelio iam lecto.* (Dom. XV. post Pentec.) *Diuinissima firmitatis ecclesiastice luminaria intelligentiam diei et noctis mysterialiter distinguentia. Gen. 1. Quamvis secundum beatum Augustinum 20. de ciuitate dei c. 21. carnalis pigricia et inerudite et inexercitate mentis tarditas* &c. Thesis Sermonis Oratoris verbis: *Quod hec sancta synodus vniuersalem representans ecclesiam vnico et indubitato pastore in terris per scisma mortiferum viduata est hic constantie pro eiusdem resuscitacione in Spiritu sancto legitime congregata.* Meminit ejus *Mansius* ad *Fabric. Bibl. med. lat.* L. XII. p. 58. qui *Codicem* in *Bibl. Caes.* viderat.

XXVI. *fol.* 255. *Magistri Ursini* (ita in calce) *Sermo*, cujus initium: *Hora est iam nos de sompno surgere. Ad romanos 13. et Recitative in epistola presentis dominice* (I. Advent.) *nuper lecta. Reuerendissimi Reuerendique patres uosque ceteri domini mei prestantissimi. Vas electionis paulus Apostolus, cujus intelligentia sic eleuata dignoscitur* &c. Non invenio inter *Constantienses Ursinum*, nisi Card. *Albanens. Jordanum Ursinum* s. *de Ursinis*; haereo tamen, an illi *Sermo* hic, seu Dissertatio de Potestate Concilii supra Papam tribui possit, quamvis doctum et doctorum amantem fuisse apud *Ciaconium* in vita T. II. *col.* 719. legam. In ingressu haec ad historiam: *Nunc gratia dei cooperante sacrum generale concilium vniuersalem indubie representans ecclesiam in medio vestri congregatum aspicitis, quod a tempore viennensis concilij, a quo fere centum si non plures anni fluxerunt, minime concessum extitit, quoniam etsi pisis et Rome temporibus nostris cele-*